Keil, Heinrich
De Plinii epistulis
emendandis disputatio altera

REGIAE FRIDERICO-ALEXANDRINAE

LITERARUM UNIVERSITATIS

P R O R E C T O R

D. JOSEPHUS GERLACH

MEDICINAE PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS

CUM

PROCANCELLARIO

R E L I Q U O Q U E S E N A T U A C A D E M I C O

SUCCESSOREM SUUM

CIVIBUS ACADEMICIS

COMMENDAT.

PRAEMISSA EST

HENRICI KEILII

DE PLINII EPISTULIS EMENDANDIS DISPUTATIO ALTERA

ERLANGAE,

TYPIS JOANN. PAUL. ADOLPH. JUNGE ET FILII.

MDCCCLXVI.

Postquam disputatio de Plinii epistulis, quam superiore anno inchoavimus, ad sextam epistulam libri quinti perducta est, restat ut de altera parte, quae inde a septima libri quinti epistula usque ad finem noni libri pertinet, dicamus. nam libri singularis epistularum Plinii et Traiani, qui vulgo decimus numerari solet, diversa a reliquis conditio est, propterea quod eius libri nulli codices manu scripti extant, sed in editis exemplaribus omnis fides scripturae posita est. quare ad illum hanc quaestionem pertinere noluimus. sed priusquam ad ea quae in hac parte quam dixi retractanda mihi proposui accedam, de auctoritate librorum qui ad scripturam constituendam parati sunt dicendum est. idcirco enim a priore epistularum parte hanc de qua dicturus sum olim separavi, quod, cum haec in Florentino S. Marci codice scripta non sit, reliquorum etiam librorum rationes mutantur.

Primum igitur locum ut in priore parte ita in hac iure obtinet Mediceus codex, de quo quae in superiore commentatione dicta sunt de hac quoque parte valere volo. reliqui codices quinto decimo saeculo scripti, qui octavo libro omisso octo epistularum libros continent, quoniam ex interpolato codice Florentino corrigi non potuerunt, ita inter se consentiunt, ut commune archetypum, ex quo omnes originem duxerunt, satis accurate expressum esse adpareat. sed iidem tam multis et tam gravibus vitiis ex vetere codice ductis corrupti sunt, ut per se quidem ad genuinam scripturam restituendam non multum conferant. eadem est conditio principis editionis ex aliquo codice huius generis expressae. in tanto igitur horum librorum consensu et communi omnium corruptela ad Dresdensem codicem, quo in priore parte epistularum usus sum, et principem editionem alios eiusdem generis libros adhibere opus non fuit. tam certo enim his duobus de communi omnium fonte constat, ut, siquid in aliis rectius scriptum sit, id quod raro evenit, hoc coniecturae potius Italorum tribuendum quam ex vetere scriptura repetendum sit. atque etiam principis editionis scriptura, quoniam cum Dresdensi codice fere

consentit, in iis quae infra ex hoc genere recentium librorum exhibenda fuerunt plerumque omitti potuit. sed cum in principe editione hae maxime epistulae de quibus nunc agimus corruptissimae editae essent, primum pars vitiorum in editione Romana paucis annis post facta, de qua in superiore commentatione dixi, sublata est, deinde multo plura in editione Aldina a. 1508 correcta sunt. e quibus editionibus Romana nunc omittenda fuit necessario, quia non contigit mihi quamvis diligenter quaerenti exemplum editionis rarissimae reperire. habuisse autem editorem codicem Mediceo simillimum, ex quo et partem octavi libri primus edidit et conplura principis editionis vitia correxit, ex iis intellegitur editionibus, quae proximis annis post factae sunt. e quibus adhibui tres, Romanam Pomponii Laeti a. 1490, Bononiensem Philippi Beroaldi a. 1498, Mediolanensem I. M. Catanaei a. 1506; antiquissimam Neapolitanam a. 1476 ipsam quoque rarissimam, cuius exemplum est in bibliotheca Parisina, excerptis Brummeri a Cortio exhibitis cognovi. itaque cum ad Medicei codicis scripturam non multum novi ex Romana editione accedere posse videatur, tum Aldi Manutii studium effecit ut et hac et reliquis quae eam secutae sunt sine graviore detrimento carere possimus *). is enim, cum veterem et bonum codicem nactus esset, hunc in hac parte epistularum multo accuratius secutus est quam in priore parte, in qua tam multa ex interpolatis exemplaribus recepit, ut ibi fides illius aut nulla sit aut perexigua. fundamentum autem Aldinae editionis fuit editio princeps Veneta, in qua emendanda quamquam quaedam ex editis ante eum exemplaribus editor recepit: multa etiam haud dubie suo arbitrio mutavit, tamen maximam partem eorum quae primum in Aldina editione recte exhibita sunt ex vetere codice petita esse frequentissimo consensu Medicei codicis probatur. praeterea octavum librum in principe editione omissum, mox ex parte in Romana editione editum, primus integrum exhibuit. quae cum ita sint, in hac quidem parte epistularum, in qua

*) Pauci sunt loci in quibus vera scriptura ex editis ante Aldum exemplaribus petenda est, V 15 (10), 1 *labor et decido*] *laboro et decido* MD, *labore decido* A; 20, 2 *iudicabit*] *indicabit* MA, *iudicauit* D; VII 3, 4 *revocare*] *evocare* MDA. nam quamvis usitatum sit Plinio evocandi verbum, hoc loco tamen ut *revocare* scribatur postulat illud quod oppositum est, *retardo*. IX 7, 4 *illic recta gestatio longo limite super litus extenditur, hic spatiosissimo xysto leviter inflectitur:* recte in veteribus editionibus legitur *spatiosissimus xystus*. neque enim dici potest gestatio xysto inflexa pro gestatione in xystum inflexum excurrente, etiamsi xystum cum gestatione iunctum fuisse concedamus; sed cum duae villae describantur, in altera recta gestatio laudatur, in altera xystus leviter inflexus. verum ex his omnibus nihil est quod coniectura inveniri non potuerit. incertae auctoritatis est VI 19, 3 *C. Romul-lus* pro *Romullus* et in inscriptione epistulae VII 9 *Cornelio Fusco* pro *Fusco*.

nunc versamur, Aldina editio suam sibi vindicat auctoritatem ad genuinam scripturam investigandam et stabiliendam.

Itaque in hac quoque parte tres patent fontes scripturae, Mediceus codex (M), Aldina editio (A), codices Italici, quorum scripturam codex Dresdensis (D) et editio princeps praestant. sed his inter se dissentientibus de fide cuiusque libri saepe incertum iudicium est. et longe maximam quidem auctoritatem habere adparet ea de quibus cum Mediceo codice consentit Aldina editio. nam in gravissima recentium librorum corruptela innumeris locis MA soli veram scripturam servaverunt; raro accidit, et quidem in levissimis quibusdam rebus, ut integram scripturam in MA corruptam exhibeant recentes libri, sive casu aliquid antiquioris memoriae in illis haesit, sive coniectura vetus vitium correctum est. ex quo genere sunt haec pauca ex septimo epistularum libro collecta exempla, 3, 5 *hortor ut iucundissimum genus vitae non nullis interdum quasi acoribus condias: acoribus* D, *acrioribus* MA ed. pr. 9, 16 *quin ergo pugillares resumis* D ed. pr.: *resumes* M, *sumis* A. 25, 2 *recepit se in agros suos paratisque honoribus tranquillissimum otium praetulit: paratisque* D ed. pr., *spiratisque* M, *speratisque* A. coniectura inventa sunt haec, VI 16, 17 *quam* (noctem) *tamen faces multae variaque lumina solabantur: solabantur*, quod a Cortio quoque inventum et exemplis conprobatum est, legitur in codice Laurentiano 47, 34. ib. 23, 4 *est indolis optimae, brevi producturus alios, si interim productus fuerit a nobis: productus* D, *provectus* MA ed. pr. sine causa Medicei codicis et Aldinae editionis scripturam spreverunt editores V 8, 14 *illud peto praesternas, ad quod hortaris, eligasque materiam*, ubi vulgo ex principe editione et recentibus codicibus *praestruas* receptum est. quod recte dici de praeparando non nego, praesertim cum *adstruere* pro *adiungere* frequenter dixerint et Plinius et aequales: cf. Holstein. de Plin. min. elocut. p. 22: sed *praesternas* defendit pan. 31, 1 *nonne manifestum est, siquid adversi cadat, tuis laudibus tuisque virtutibus materiam campumque praesterni?*, ubi pro *prosterni*, quod est in codicibus, recte *praesterni* scripsit Lipsius.

Dissentientibus inter se Mediceo codice et Aldina editione, ubi a Medicei partibus stant reliqui codices, in interpolationis suspicionem incidit Aldus, praesertim si in editis ante eum exemplaribus eadem scriptura invenitur, ut haec potius quam codicem secutus esse existimandus sit, VI 25, 4 *utinam ne in Robusto idem* pro *ut ne in Robusto quidem;* 31, 3 *innoxiae popularitatis* pro *innoxie popularis;* ib. 13 *cogites* pro *cogitares*; ib. 15 *cuius in sinu portus velut amphitheatrum* pro *cuius in sinu fit cum maxime portus;* VII 10, 3 *qui quo nomine accusetur incertum est* pro *qui an omnino accusetur incertum est.* ex eodem genere sunt etiam haec, VI 19, 4 *deforme arbitratus, ut erat, honorem petituros urbem Italiamque non pro patria, sed pro hospitio aut stabulo quasi peregrinantes habere.*

nam pro *ut*, quod ex antiquioribus editionibus in Aldinam propagatum et postea receptum est ab omnibus, in codicibus et principe editione est *et*. saepius autem Plinius in parenthesi *et* coniunctionem posuit, VII 9, 2 *utile in primis, et multi praecipiunt, vel ex graeco in latinum vel ex latino vertere in graecum:* VIII 3, 3 *interim tamen tamquam placituram, et fortasse placebit, expecta*, cf. III 14, 3: VIII 23, 4; 5; IX 5, 1. — VI 32, 1 *Debet secundum conditionem mariti veste comitatu augeri, quibus non quidem augetur dignitas, ornatur tamen et instruitur.* verbum *augeri* in codicibus et principe editione omissum ab Aldo ex prioribus editionibus receptum est neque maiorem auctoritatem habet, quam quod in Pragensi codice ex Mediceo descripto ad lacunam supplendam substitutum est, *decorari.* non plus fidei habet quod vulgo ex recentibus libris et principe editione scribitur, *comitatu, quibus non augetur* (*agitur* D) *quidem dignitas, ornatur* (*ornatus* D) *tamen, instrui. augeri* autem, quamquam per se recte dicitur de ornatu hominum, tamen hoc loco propter repetitum *non augetur*, in quo nescio quam elegantiam invenire sibi visus est Cortius, probari nequit. relinquenda igitur est vetus lacuna, cuius certum supplementum non potest inveniri.

Pauca tamen huius modi exempla sunt, in quibus consensu priorum editionum suspecta redditur Aldi fides, quod indicio esse debet eum in emendanda principe editione raro ad priorum editorum inventa confugisse. ea autem quae ipse non praeeuntibus aliis novavit maximam partem in elocutione et structura verborum versantur. in quo genere permulta, quae minus usitate dicta esse videbantur, in Aldina editione mutata sunt, ut VI 16, 12 *quod est aeque magnum*, 14 *si longior in cubiculo mora esset*, 20 *corpus inventum est integrum*; 20, 20 *donec de avunculo nuntius veniret;* 31, 14 *tam diligens in Caesare humanitas fuit;* VII 33, 6 *ut, siqua ex hoc invidia erit, non tua tantum sit,* in quibus locis, sicut in aliis plurimis, verba a Plinio omissa ab Aldo addita sunt. V 19, 4 *accedit huc* pro *accedit*; VI 16, 11 *cunctatusque* pro *cunctatus*, 15 *consultant an intra tecta subsistant* pro *consultant intra tecta subsistant*, 16 *decidentia* pro *incidentia;* 20, 9 *in siccis arenis detinebat* pro *siccis harenis detinebat*, 18 *dies vere* pro *dies verus*, ib. *occurrebant* pro *occursabant;* 25, 1 *iter fecisse* pro *iter peregisse.* eodem refero IX 13, 5 *non ita gloriae meae faverim, ut vobis societate eius invideam*: *societate eius* M, *societate ius* D, *societatis ius* ed. pr., *societatem eius* A. nam ablativum casum, non accusativum, cum invidendi verbo secundum suae aetatis usum a Quintiliano IX 3, 1 observatum posuit Plinius, I 10, 12: II 20, 8; 10, 2; III 8, 2: VII 28, 2; pan. 86, 2. veterem morem secutus est bis, I 8, 6 *nam cum ipsi honestati tum aliquanto magis gloriae eius praedicationique invidemus*, IX 23, 6 *qui nec ullius invides laudibus et faves nostris.* aliorum scriptorum inde a Livio usum indicaverunt Madvigius emend. Liv. p. 60

et Nipperdeius in Tac. ann. I 22. raro graviora, quibus sententia verborum corrumpitur, ausus est Aldus, ut VI 6, 5 *ut primum sibi aetas iudicare permisit* pro *ut primum sibi iudicare permisit*; 20, 9 *suspensam dubiamque mentem* (pro *noctem*) *spe ac metu exegimus;* VII 12, 6 *ne tu, cum hoc legeres non parteis libelli, sed totum libellum improbares, negaresque ullius pretii esse, cuius pretium reposceres* pro *ne tu, cum hoc legeris, non partes — improbabis negabisque — reposceris.* attamen in his etiam quae unius Aldi auctoritate nituntur sunt non nulla, quae ex vetere codice petita et vel dissentientibus reliquis libris recipienda esse non dubia scripturae praestantia docet, IX 1, 4 *nam quod de vivente scriptum, de vivente recitatum est, in defunctum quoque, tamquam viventem adhuc, editur, si editur statim,* ubi v. *de vivente recitatum* sperni non debebant, propterea quod haec sola Aldina editio praebet; IX 4, 1 *nisi esset generis eius ut saepe incipere, saepe desinere videatur: saepe incipere* om. MD, add. A; V 20, 7 *Cornelius Priscus consularis et accusatoribus quae petebant et reo tribuit* A, *cornelius sertorius consularis accusatoribus* etc. M, *cornelius priscus actoribus* etc. D. sunt alii loci conplures, in quibus levior est codicum discrepantia, ut dubitari possit, utrum ex codice recepta sit vera scriptura, an coniectura editoris inventa, V 8, 3 *sed hoc satis est, quod prope sola historia polliceri videtur* A, *sed hoc satis est et quod* etc. M, *sed satis est quod* etc. D. nam *et quod,* quod commendabat Cortius, coniunctivum postulabat, quo frequenter in hac formula usus est Plinius. ib. 14 *iam scribere parato* A, *eam scribere parato* M, *tam scribere parato* D; VII 31, 2 *praeerat alae miliariae* A: *militariae* D, *militari* M ed. pr.; IX 23, 3 *uterque nostrum his etiam ex studiis notus, quibus aliter ignotus est* A: *alter ignotus est* MD. item Aldinam editionem sequor VII 11, 1 *quaeris an quod gesserit ratum servem: gesserit* A, *gessit* MD. nam coniunctivum postulare videtur obliqua oratio.

Quamquam haec de quibus adhuc dictum est ita conparata sunt, ut raro dubitationi locus relinquatur. incertius iudicium est de iis locis, in quibus Aldina editione cum principe et recentibus codicibus consentiente solus contra illos stat Mediceus codex. nam cum neque Medicei libri ea fides sit, ut quae huius testimonio confirmantur ab omni parte tuta videri debeant, et Aldus neglecta codicis scriptura multa ex principe editione temere repetiverit, incertum est quantum isti consensui tribuendum sit. et magnus quidem est numerus exemplorum, quibus uno Mediceo codice dissentientibus re[illegible]quis genuinam scripturam servatam esse certo constat. e quibus haec adscripsi ex se[illegible] libro epistularum, 4, 4 *vereor omnia, imaginor omnia* M: *imaginor omnia* om. D[illegible] 5 *reconciliarent ac recomponerent* M, *reconciliarent componerentque* DA; 7, 2 *gra*[illegible] *est quod nos requiris, gratum quod his fomentis adquiescis: gratum est quod nos* [illegible]*ris* om. DA, add. M.; 27, 4 *faciendi aliquid non faciendive ratio* M, *faciendi a*[illegible] *vel non faciendi*

vera ratio A, *faciendi vera ratio* D ed. pr.; 29, 3 *aequum est enim agere non numquam gloriae et famae, id est suam causam. hos terminos, quia me consuluisti, dignitati ac verecundiae tuae statuo: suam — consuluisti* om. DA, add. M; 33, 3 *ingens utrimque advocatio et numerosa subsellia, praeterea densa circumstantium corona latissimum iudicium multiplici circulo ambibat* M. *ingens utrimque advocatorum et numerosa subsellia praestantium corona* etc. DA. cautione tamen opus esse in libro non solum vulgari librariorum neglegentia, sed interpolatione etiam corrupto haec moneant exempla ex eodem sexto epistularum libro collecta, 13, 6 *quantum nos in ipsa pugna certaminis maneat* DA, *quantum proelium quanta pugna certaminis maneat* M; 20, 3 *praecesserat per multos dies tremor terrae minus formidolosus, quia Campaniae solitus; illa* (*ille* D) *vero nocte ita (iam* D) *invaluit, ut non moveri omnia sed verti* (*everti* A) *crederentur. irrumpit* (*inrupit* D) *cubiculum meum mater* DA, *praecesserat — quia Campaniae non solum castella verum etiam oppida non moveri omnia sed verti credebantur. invasit in cubiculum meum mater* M: ib. 6 *iam quassatis circumiacentibus tectis* DA, *iam quassata omnia circumiacentibus tectis* M; 22, 5 *Bruttiano iustissimum integritatis testimonium redditum* DA, *Bruttiano praemium integritatis iustissimum redditum* M; 31, 17 *saxeum dorsum* DA, *os saxeum* M. accedunt lacunae frequentes et alia vitia genere leviora, sed magis ambigua et ad errorem proclivia, VI 6, 2 *pendeo ergo et exerceor spe, adficior metu* DA, *pendeo ergo et exerceor atque adficior metu* M: nam sic in M scriptum est, neque debebat illud scrupulum facere editoribus. nam et spes aptissime hoc loco commemoratur, et exerceri spe non minus recte dicitur quam talia, Quintil. IV 1, 33 *animus spe metu admonitione precibus — agitandus est*, Quintil. XII 1, 7 *spe curis labore distringitur.* prorsus alienum autem a concinnitate sermonis, quam Plinius sequitur, est illud *pendeo et exerceor atque adficior.* — VI 10, 1 *Cum venissem in socrus meae villam Alsiensem, quae aliquando Rufi Vergini fuit, ipse mihi locus optimi illius et maximi viri desiderium non sine dolore renovavit. hunc enim incolere secessum atque etiam senectutis suae nidulum vocare consueverat.* placere poterant quae in M scripta sunt *aliquandiu* pro *aliquando* et *colere* pro *incolere* *). sed *aliquando* tuetur frequens eius vocabuli usus apud Plinium, cf. VII 24, 8, ad Trai. 70 (75), 1, pan. 50, 6. *aliquandiu* autem alio modo dictum est III 5, 7, ad Trai. 70 (75), 2. *incolere* de villa dictum est II 17, 29. — VI 18, 3 *Credibile est optimos esse inter*

*) D[illegible]utraque scriptura cum Mediceo codice consentit Monacensis Emmer. 641, in quo duae epistulae I 6 [illegible] VI 10 decimo saeculo scriptae sunt. neque tamen ea re fides Medicei libri augetur, sed potius antiqu[illegible] [illegible]robatur vitiorum, quibus ille corruptus est. nam plerumque in duabus epistulis quas dixi cum e[illegible]sentit Monacensis libri scriptura.

quos tu talis extiteris. falso Medicei codicis scripturam *moreris* pro *extiteris* defendit Cortius. nulla laus enim paratur civitati, quod in ea vir probus moretur, sed quod in ea factus sit probus. hinc adparet iam ne satis quidem auctoritatis a solo Mediceo habere VI 30, 5 *velle plurimum scio* pro *velle plurimum credo.*

Augetur vero ambiguitas scripturae et difficultas iudicandi in octavo libro. qui liber cum in recentibus codicibus scriptus non sit, inter Mediceum codicem et Aldinam editionem, qui soli testes scripturae relicti sunt, suspensum est iudicium, neque certa lege constitui potest, quid in alterutro libro neglegentia et interpolatione librarii vel editoris peccatum, quid ex incorrupta memoria profectum sit. nam quamvis dubitari nequeat quin maior fides habenda sit Mediceo codici quam Aldinae editioni, multa tamen in illo quoque vitiose scripta sunt, quae ex suo codice emendata exhibuit Aldus. ex quo genere in primis sunt ii loci, in quibus cum ille lacunis corruptus sit, hic integram neque ulli dubitationi obnoxiam scripturam suppeditat, 2, 8 *ἐν δὲ ἰῇ τιμῇ ἠμὲν κακὸς ἠδὲ καὶ ἐσθλός* om. M, add. A; 7, 1 *ut discipulo magister, nam tu magister, ego contra* A, *nam tu magister* om. M; 14, 19 *qui haec sentitis, in hanc partem, qui alia omnia, in illam partem ite qua sentitis* A, *in hanc — sentitis* om. M; 15, 2 *chartae emi possint, quae si scabrae bibulaeve sint, aut non scribendum, aut necessario quidquid scripserimus boni maliue deleuimus* A, *chartae emi possint aut necessario quidquid scripserimus boni mali uidebimus* M; 16, 3 *eoque sibi magnos homines et sapientes videri. qui an magni sapientesque sint nescio, homines non sunt* A, *sapientes videri qui an magni* om. M; 18, 4 *filiam adoptionis fraude revocaverat, et quidem cum opibus amplissimis* A, *et quidem cum opibus amplissimis* om. M. accedunt alia diversi generis vitia, in quibus non minus certa est Aldinae editionis scriptura, 6, 7 *gratior* A *gratiae* M; 14, 4 *erat autem* A *erat ante* M, 7 *suspecta* A *inspecta* M, 20 *dubium* A *durum* M, 22 *conprobata* A *conparata* M, ib. *qua ergo ratione* A *quae ratione* M; 17, 3 *Anio* A *ante* M; 18, 3 *quos sic decipere pro moribus temporum prudentia est* A *quod sic pro moribus temporum est* M; 21, 3 *iucundis anteferrem* A *iucundis simul ferrem* M, 6 *causa recitandi* A *causa retractandi* M. quae quidem omnia ita conparata sunt, ut in iis etiam epistulis quae iam ante Aldum editae erant vera scriptura, quoniam in prioribus exemplaribus sic ut in Mediceo codice corrupta erat, non potuerit nisi ex manu scripto libro peti. contra interpolatae in A scripturae haec posuisse exempla sufficiat, ut leviora nunc omittam, 6, 5 *nec expiata postea curia est* M, *nec expiata postea ea iniuria est* A, 9 *Caesar ipse advocatus esset* M, *Caesar ipse patronus ipse advocaretur* A; 14, 24 *quaero an postulare debuerim. quemadmodum obtinui* M, *quaero an postulare debuerim an abstinere. quemadmodum abstinuit is* A; 17, 2 *sistere cogit* M, *retro cogit* A; 18, 3 *ut qui de patre avo proavo quasi de orbo querantur* M,

qui de illo uti de patre avo proavo quasi orbi quaerantur A, 11 *nam sunt omnes fabulae Tullus* M, *nam sunt venales tabulae Tulli* A. tam ancipiti igitur auctoritate cum bona et genuina cum falsis et suppositis mixta sint, difficile est uno quoque loco recte iudicare, quae fides illius testimonio contra Mediceum codicem habenda sit.

Denique in ultimis libri noni epistulis, quae in Mediceo codice desunt, quoniam omnis fides scripturae in Aldina editione et recentibus codicibus posita est, propter multa et gravia illorum codicum vitia praecipua esse debet Aldinae editionis auctoritas. et in his quoque epistulis boni codicis auxilio adiutum fuisse editorem maxime probant certa quaedam lacunarum, quibus illi corrupti sunt, supplementa. quorum haec sunt in una epistula exempla, 36, 2 *nunc pauciora nunc plura, ut vel difficile vel facile conponi tenerive potuerunt* A, *nunc plura vel difficile vel facile* etc. D, ib. *quae formaveram dicto: abit rursusque revocatur rursusque remittitur* A, *quae formaveram revocatur rursusque dimittitur* D, 3 *non tam vocis causa quam stomachi lego, pariter tamen et illa firmatur, iterum ambulo* A, *non tam vocis causa quam stomachi, iterum ambulo* D. sed non magis in hac parte quam in reliqua omnia ad fidem codicis Aldum correxisse vel interpolationibus se abstinuisse existimabimus. quo refero haec, 33, 2 *adiacet navigabile stagnum, ex* (*et* ed. pr.) *hoc in modum fluminis aestuarium* D ed. pr., *adiacet ei navigabile stagnum, ex quo in modum fluminis aestuarium* A, 10 *occulte* D, *secrete* A; 36, 2 *dimittitur* D, *remittitur* A; 37, 3 *operis exactores* D, *exactores operi* A.

Supra scriptis exemplis, inter quae conplura de quibus olim non recte iudicaveram posita sunt, demonstratum esse puto quod volui, in tota hac posteriore epistularum parte valde ambiguam esse librorum memoriam, neque constare posse iudicium, nisi et genere vitiorum, quo singuli libri corrupti sunt, perspecto et usu loquendi, qui omnibus libris firmior est, diligenter observato regatur. iam locos quosdam, qui longiorem disputationem requirunt, subiciam.

V 21 (9), 3 *Illud plane non triste solum, verum etiam luctuosum, quod Iulius Avitus decessit, dum ex quaestura redit, decessit in nave, procul a fratre amantissimo, procul a matre, a sororibus.* Iulium Avitum qui hoc loco dicitur diversum esse a Iunio Avito, de cuius morte scripta est octavi libri epistula vicesima tertia, adnotaverat Catanaeus, quem reliqui editores secuti sunt. sed quae in illa epistula de Iunio Avito eiusque morte narravit Plinius ita cum iis quae queritur in hac consentiunt, ut dubitari nequeat quin de eodem homine utraque epistula scripta sit. quare hoc loco scribendum est *Iunius Avitus.* nam de Iulio Avito nihil constat; P. Iunii Aviti autem titulus sepulcralis est C. I. N. 7201.

VI 6, 3 *Nam rursus mihi videor omnium quae decucurri candidatus.* non *decurri*,

quod ex Mediceo codice et principe editione receperunt editores, sed *decucurri*, quod habent DA, scribendum esse docet constans Plinii usus optimorum librorum auctoritate confirmatus, I 1, 8 *accucurrit* MVF Riccard. A, *accurrit* D ed. pr.; I 14, 7 *percucurrit;* III 4, 2 *excucurrissem;* III 7, 2 *decucurrit;* III 20, 7 *decucurrerunt* MVFD, *decurrerunt* A ed. pr.; ad Trai. 96 (97), 8 *decucurri* A, *decurri* editio princeps Avantii. contra IV 17, 3 *occurrerit*, IV 30, 5 et VI 19, 3, pan. 5, 3 *occurrit*, VI 34, 3 *occurrissent*, VII 27, 3 *occurrisse.* nam *occucurri* neque Plinius dixit, neque umquam latine dictum est. in reliquis verbis cum *curro* compositis multa utriusque formae exempla et nuper collecta sunt a Neuio Formenl. d. lat. Spr. v. II p. 361 sqq., et ante eum collecta erant ab aliis, quos indicaverunt editores Halenses in Voss. Aristarch. III 19 p. 809, quamquam non distinctis, ut fieri debebat, aetatibus sermonis et usu scriptorum. in occurrendi verbo autem duo afferri video exempla, eaque ne librorum quidem auctoritate satis confirmata, alterum Senecae epist. 120, 3 *virtutis alicui speciem casu occucurrisse*, quod ex uno quamvis optimo codice Bambergensi Fickertus et Haasius receperunt; in reliquis libris *occurrisse* legitur. alterum exemplum est Plauti Merc. I 2, 87 *ilico Occucurri atque interpello, matri te ancillam tuae Emisse illam*, ubi *occurri* habent libri; *occucurri* e coniectura Camerarii scriptum est. at ne perfectum quidem tempus ferri potest, sed scribendum potius, *ilico Occurro ei atque interpello*, ut versus addendus sit exemplis de *is* pronomine compositis a Ritschelio ind. lect. Bonn. a. 1841 hib. p. X et a Lachmanno in Lucret. p. 162. tertium eiusdem generis exemplum addi poterat, Phaedri III 7, 2 *Cani perpasto macie confectus lupus Forte occucurrit; dein salutans, invicem Ut restiterunt, unde sic, quaeso, nites?* nam sic corruptam codicum scripturam *forte occurrit dein salutantes invicem* correxit Bentleius. sed ne huic quidem scriptori istam perfecti formam tribuo, sine qua sic restitui poterit versus, *occurrit forte, dein salutant invicem.*

VI 8, 5 *Homo est alieni abstinentissimus, sui diligens, nullis quaestibus sustinetur, nullus illi nisi ex frugalitate reditus. nam studia, quibus plurimum praestat, ad voluptatem tantum et gloriam exercet. gravis est ei vel minima iactura, quia reparare quod amiseris gravius est.* scripta haec sunt de Atilio Crescente, pro quo petit Plinius a Prisco amico ut ab herede Valerii Vari, qui illi pecuniam debuerat, impetret ne sortis vel usurarum iacturam Atilius faciat. sed intolerabili modo iis quae de frugalitate et de modicis fortunis Atilii dicuntur interposita est generalis sententia *quia reparare quod amiseris gravius est.* nam postquam expositae sunt causae, cur illi vel minima iactura pecuniae gravis futura esset, his non potest addi illud quod pariter ad omnes pertinet, graviorem esse hominibus rerum amissarum reparationem. rectius igitur Barthius et Gruterus ex suis codicibus scripserunt *amiserit*, quod non debebant spernere editores. habent autem *amiserit* D ed. pr.,

amiseris MA. praeterea *quia* DA, *et quia* ed pr., *quam* M. unde, ut suam vim habeat conparativus *gravius*, scribendum esse videtur *quo reparare quod amiserit gravius est.*

VI 24, 1 *Quam multum interest quid a quoque fiat! eadem enim facta claritate vel obscuritate facientium aut tolluntur altissime aut humillime deprimuntur.* corrupta esse quae in codicibus leguntur *quid a quoque fiat* adparet. neque enim quaeritur quid sit quod aliquis fecerit, siquidem de rebus praeclare gestis dici constat, sed quis sit qui rem praeclaram gesserit. neque magis probari potest coniectura Casauboni *quid a quo fiat*, quam editores receperunt, postquam ita scriptum esse in Mediceo codice falso indicavit Cortius. in qua scriptura non offendit quidem pronomen interrogativum bis positum, quod exemplis ab editoribus congestis non egebat, sed non minus intolerabile quam in codicum scriptura in hac est interrogativum *quid.* scribendum igitur quod res postulat, *a quo quid fiat.* nam hoc iam magis probo, quam quod olim scripseram *a quo quidque fiat.* indefinitum enim pronomen *quis* cum relativo vel interrogativo saepe posuit Plinius; *quisque* non dicitur, nisi cum propria sententiae vis est in distributione singulorum significanda. idem pronomen restituendum V 9 (21), 4 *suberat edicto senatusconsultum: hoc omnes, qui quid negotii haberent, iurare prius quam agerent iubebantur nihil se ob advocationem dedisse promisisse cavisse.* nam sic A, *quisquis negotium haberet iurare prius quam agere* D, in lacuna om. M. vitiosum autem est quod olim editum erat *omnes quisquis.*

VI 27, 4 *Hoc tunc ego. sed non omnibus eadem placent, nec conveniunt quidem.* probaveram olim scripturam omnium librorum auctoritate confirmatam *nec conveniunt quidem,* ea quidem significatione, quam et Cortius in Plin. II 11, 7 defenderat, et Madvigius in disputatione de vitiosa coniunctione *nec* et *quidem* particularum in Cic. de fin. p. 823 exceperat, ut pro *et non quidem* dictum esset. sed ne illud quidem Plinio, ut in hoc nunc subsistam, tribuendum esse, quamvis in non nullis locis codicum scriptura commendari videatur, cum recte aestimata librorum fides tum usus loquendi docet. in libris autem *nec* cum *quidem* coniunctum invenitur his locis, II 14, 7 *nec audientes quidem* MV, *ne audientes quidem* FD; III 5, 15 *nec caeli quidem* VD, *nec aeli quidem* M, *ne caeli quidem* F; ad Trai. 51 (12), 2 *nec audeo quidem* editio princeps Avantii et Aldina, *ne audeo quidem* Gronovius; pan. 3, 5 *ac nec illud quidem* codex Wolfenbuttelanus; pan. 27, 3 *quamquam nec hunc quidem;* pan. 43, 5 *nec id quidem* codex Parisinus. hinc adparet praeter duos epistularum ad Traianum et panegyrici locos, quorum fides in recentissimis libris posita est, unum quem supra scripsimus esse locum, in quo a manu scriptorum librorum auctoritate commendationem habeat *nec* pro *ne* positum. quare dubitari nequit quin et in illis locis recte emendatum sit *ne quidem,* et in hoc recte Gesnerus

scripserit *ne conveniunt quidem.* nam aut omissa copula in talibus *ne quidem* posuit Plinius, II 3, 3; II 14, 7; VI 15, 1; VII 27, 15, ubi non minus perverso iudicio vel contra codices *nec ego quidem* voluit Cortius; aut frequentissima formula usus *ac ne quidem* dixit. praeterea, quoniam illud etiam cum hac quaestione coniunctum est, *nec* vel *neque* in media sententia positum ea significatione, qua omissa negatione saepissime *et* pro *etiam* dictum est, in epistulis numquam dixit Plinius, sed pro eo scripsit *ne quidem.* nam diversum ab hoc usu est II 2, 3 *illud enim nec di sinant*, quod ex antiquo sermone servatum esse vidit C. F. W. Muellerus Mus. Rhen. noviss. v. XX (a. 1865) p. 157, vel *necdum* pro *nondum* pan. 14, 1 *et necdum imperator necdum dei filius eras* et 56, 2 *et necdum de biennio loquor.* in panegyrico tamen semel ita dictum invenio *neque*, 16, 3 *nam ut ipse nolis pugnare moderatio, fortitudo tua praestat ut neque hostes tui velint,* quod quoniam aequalibus scriptoribus usitatum est, non muto. sed epist. ad Trai. 54 (62), 2 non debebat probari Orellii coniectura *et si nec sic reperiuntur* pro *ne sic*, quod habent Avantii et Aldi editiones, sed restituendum est quod scripsit Catanaeus, *et si ne sic quidem reperiuntur.*

VI 31, 9 *A parte heredum intraverunt duo omnino: postulaverunt omnes heredes agere cogerentur, cum detulissent omnes, aut sibi quoque desistere permitteretur.* heredes Iulii Tironis communiter epistula scripta, ut ait Plinius, ab imperatore petiverant ut cognitionem de falsis codicillis contra Sempronium Senecionem equitem Romanum et Eurythmum, libertum suum et procuratorem, susciperet. mox cum quidam ex illis accusationem omitterent et dilationem petentibus imperator indulsisset, actionis die duo ex heredibus postulant ut aut illi qui omittere accusationem volebant agere cogerentur aut sibi quoque desistere permitteretur. in tali sententia autem bis poni *aut* particulam necesse est, *postulaverunt aut omnes — aut sibi quoque* etc., quod ipsa librorum scriptura confirmat, *postulaverunt ut omnes* DA, *postulaverunt omnes* M. sed graviore vitio laborant ea quae sequuntur. imperatorem enim veritum ne omissa accusatione ipse in suspicionem incideret, quasi Eurythmo faveret, rem ad consilium rettulisse narrat Plinius. *dein*, inquit, *conversus ad nos ἐπιστήσατε quid facere debeamus. isti enim queri volunt, quod sibi licuerit non accusare.* ita enim haec in libris scripta sunt, nisi quod *επιστησαται* M, *ἐνιστήσατε* D, *ἐπίστασθε* A, et *quaeri* M. perversis autem artibus usi sunt interpretes, ut aptam sententiam verbis elicerent, accusatores tergiversatione sua id agere, ut postea queri possent ideo sibi permissum esse rem omittere, ne Caesaris libertus in iudicium vocaretur. nam neque omitti in hac sententia poterat illud quod summum erat de gratia liberti, neque habebant accusatores quod quererentur, nisi se coactos esse ad omittendum dicebant. non magis probandae sunt coniecturae Gesneri *quod sibi non licuerit non accusare*

vel Schaeferi *quod sibi non licuerit accusare.* nam praeter reliqua, quae in sententia verborum offendunt, verbum *volunt* intellectum non habet. nexus autem sententiarum flagitat ut hoc dicatur, accusatores ius omittendae accusationis postulare propterea, quod sibi licuerit omnino non suscipere accusationem ad suam rem pertinentem. quam sententiam facili mutatione assequemur, si scribimus *isti enim quaeri nolunt, quod sibi licuerit non accusare.* ceterum ἐπιστήσατε, hoc est *attendite*, ex M restitui pro vulgato ἐπίστασθε, in quo explicando frustra operam perdiderunt interpretes.

VII 9, 8 *Nam saepe in orationes quoque non historiae modo sed prope poetica descriptionum necessitas incidit.* incidendi verbum usitatum est Plinio de iis quae casu vel rerum natura ita ferente accidunt: cf. II 6, 6; 14, 1; III 4, 8; IV 11, 16; 17, 8; 22, 5; VII 24, 8; VIII 14, 1; ad Trai. 96, 4. similia Livii exempla collegit Drakenborchius in Liv. X 18, 14. sed diversum hoc ab eo quod vulgo dicitur in aliquam rem incidere, ut significetur res in quam de improviso incurrimus vel inplicamur. qua significatione dici poterat orationes in necessitatem descriptionum incidere; necessitas num recte dicatur incidere in orationes dubito. neque defenditur hoc eo quod Plinius scripsit ad Trai. 56 (64), 4 *nam haec quoque species incidit in cognitionem meam.* quare videtur scribendum esse *in oratione quoque.*

VII 12, 1 *Libellum formatum a me, sicut exegeras, quo amicus tuus, immo noster (quid enim non commune nobis?), si res posceret, uteretur, misi tibi ideo tardius, ne tempus emendandi eum, id est disperdendi, haberes. habebis tamen, an emendandi nescio, utique disperdendi.* ὑμεῖς γὰρ οἱ εὔζηλοι *optima quaeque detrahitis. quod si feceris, boni consulam. postea enim illis ex aliqua occasione ut meis utar et beneficio fastidii tui ipse laudabor, ut in eo quod adnotatum invenies et suprascripto aliter explicitum.* libellum a se formatum dicit Plinius orationem ex materia quam amicus praebuerat diligenter a se conpositam: cf. IX 36, 2. nam si orationem amici a se correctam, id quod plerumque dicitur *formari*, intellegi voluisset, accuratius cuius esset libellus indicandum erat. in ea igitur oratione cum quaedam elatius, ut consueverat, scripsisset, haec non placitura esse videbat Minicio, tenuis dicendi generis amatori et nimio studio quidquid minus proprie dictum esse videretur fugienti, ne in illud vitium quod vulgo κακόζηλον dicebant incideret. κακοζήλου enim vitium, quod *malam adfectationem* vel *quidquid ultra virtutem est* dicit Quintilianus VIII 3, 56, quamquam late patebat apud rhetores, ut docent Hermogenes de inv. IV 12 (v. III p. 178 ed. Walz), Demetrius περὶ ἑρμ. §. 186 (v. IX p. 82 ed. Walz), Schneiderus in Dem. l. c., maxime tamen in tumidum et nimio ornatu corruptum stilum cadit; eoque nomine *cacozelos et antiquarios ut diverso genere vitiosos* dixit Suetonius Aug. 86, et contrariam huic vitio virtutem εὐζηλίαν Plutarchus

Lycurg. 21, ἡ δὲ περὶ τὰς ᾠδὰς καὶ τὰ μέλη παίδευσις οὐχ ἧττον ἐσπουδάζετο τῆς ἐν τοῖς λόγοις εὐζηλίας καὶ καθαριότητος. itaque Plinius amicum istud κακόζηλον anxie fugientem ridens ait ex numero esse τῶν εὐζήλων. nam quod vulgo legitur ὑμεῖς γὰρ οἱ κακόζηλοι neque aptum huic loco neque ex libris manu scriptis, sed ex editione Catanaei receptum est. eaedem in reliquis facetiae sunt. iis enim verbis, quae ille propter nimium κακοζήλου timorem reiecturus sit, se postea alia occasione iterum tamquam suis usurum et novam laudem ex iis sibi paraturum esse scribit Plinius; atque adeo, ut studio eius subveniret, se statim quaedam adnotasse et exiliora, quae illis scilicet tumidis substitui possent, adscripsisse. in his primum offensionem non habet *in* praepositio cum laudandi verbo coniuncta: cf. Quintil. V 12, 22 *laudari in bonis gaudent.* similem praepositionis usum in verbo delectandi ne Ciceroni quidem abiudicandum esse docuit Madvigius in Cic. de fin. p. 82. deinde *adnotare* proprie dicitur de iis quibus tam quam corrigendis nota adponitur: cf. Plin. I 8, 3; III 13, 5; V 12 (13), 2; VII 17, 7; 20, 1; IX 26, 5. atque haec quidem praemonenda esse videbantur, quoniam ab interpretibus aut non recte intellecta aut inmerito in suspicionem vocata erant. sed pro *suprascripto* scribendum est *superscripto:* cf. Suet. Ner. 52 *ita multa et deleta et inducta et superscripta inerant. supra scribere* autem alio modo dici notum est, neque veri simile est ab hoc usu Plinium recessisse. deinde pro *aliter* restituendum est *alio.* nam non solum adverbium offendit ita positum, ut nescias quo pertineat, sed etiam participium non addito nomine insolenter dictum est. vidit hoc Barthius, quamvis non recte coniecerit *alio recte explicitum.* denique *ut in eo quod,* pro quo *ut in eo quoque* habent D et princeps editio, si ita intellegimus, ut adferendi exempli causa positum sit, tollitur lepos et acumen orationis, cum illud in quo maxime iocus versatur exempli loco reliquis addatur. et offensioni hoc fuit olim Gronovio, qui pro *ut in eo quod* scribendum coniecit *unumquodque,* et Barthio, qui voluit *tu meo quod.* quorum neutrum quidem probari potest; sed *ut* vitiosum esse recte illi intellexerunt. poterat autem errore librariorum additum videri *ut*, quo deleto vix quidquam desideraremus ad sententiam conplendam, nisi in promptu esset scribere *utique in eo quod.* propriam enim id vocabulum sedem habet in iis quae ita subiciuntur, ut superiora intendant et vim sententiae augeant, V 7, 2 *utique in eo quod ad communem patriam voluit pervenire;* VII 17, 9 *utique si latior scaena et corona diffusior;* 22, 2 *utique si te mereri putes.* alienum ab hoc usu est quod Schwarzii coniectura inventum legitur pan. 8, 2 *horum opus, horum illud imperium, Nerva tantum minister fuit; utique qui adoptarat tam paruit quam tu qui adoptabaris,* ubi *utque qui adoptaret* est in codicibus. nihil autem aptius vel probabilius inveniri poterit, quam *teque qui adoptaret; teque cum adoptaret* coniecerat Heumannus. ceterum

praeter locos qui supra scripti sunt Plinius hoc vocabulo, quod frequentissime posuerunt alii eius aetatis scriptores, usus non est.

VII 17, 13 *Nam quod M. Cicero de stilo, ego de metu sentio. timor est emendator asperrimus.* stilum vel scribendi exercitationem plurimum valere ad bene dicendum saepe dixit Cicero, de or. I 33, 150; 60, 257; III 49, 190; Brut. 24, 92; ad fam. VII 25, 2. illud tamen quod hoc loco de timore dicit Plinius, emendatorem esse asperrimum, numquam dixit de stilo. sed in codicibus omnibus et Aldina editione post *timor est* iterum scriptum est *timor*, neque ullam vim habet ista repetitio praecedentis vocabuli alioqui Plinio usitatissima, nisi addatur aliud. itaque lacuna videtur haustum esse aliquid ex iis quae de stilo Cicero dixerat. probabile autem est eundem locum respexisse Plinium, de quo Quintilianus X 3, 1 *nec immerito,* inquit, *M. Tullius* (de or. I 33, 150) *hunc optimum effectorem ac magistrum dicendi vocavit.* unde haec olim scripta fuisse suspicor, *timor est optimus ac praestantissimus dicendi effector, timor emendator asperrimus.*

VIII 6, 2 *Inveni tam copiosum et effusum, ut ille superbissimus titulus modicus atque etiam demissus videretur; conferantque se non dico illi veteres, Africani Achaici Numantini, sed hi proximi, Marii Sullae Pompeii, nolo progredi longius, infra Pallantis laudes iacebunt.* non debebat suspecta esse Aldinae editionis scriptura olim recepta *conferant se misceantque.* nam miscendi verbum a posterioris aetatis scriptoribus, maxime a Tacito, de conventu hominum dici constat. Plinius autem, quamvis praeter hunc locum, in quo altiorem stilum adfectavit, hoc significatu *miscere* non dixerit, tamen, ut hoc loco post *conferant* positum est, ita aliis verbis illud addere consuevit, ut vim eorum augeat et accuratius definiat, V 8, 11 *confundam misceamque;* VIII 5, 1 *collegit et miscuit;* pan. 24, 1 *iunxisti enim et miscuisti.* e contrario in Medicei codicis scriptura *conferantque se* insolenter dictum est *que.* nam in tali sententiarum nexu aut omittenda erat copula aut fortius efferenda.

VIII 8, 1 *Vidistine aliquando Clitumnum fontem?* parum probabile est fontem Clitumni fluminis, quem Plinius describit, ipsius fluminis nomine appellatum esse, quamquam non flumen solum sed lacum etiam Clitumnum dictum esse testantur Philargyrus in Verg. georg. II 147 *Clitumnus et deus et lacus in finibus Spoletinorum, ex quo bibentia pecora alba fiunt,* et Isidorus orig. XIIII 13, 6 *Clitumnus lacus in Umbria maximos boves gignit.* lacum autem illi dixisse videntur quem Plinius gurgitem dicit, non longe illum quidem a capite fluminis remotum. porro Plinius fontem propter magnam vim aquae mox amplissimi fluminis naturam induere scribit. verum tamen inde non sequitur nomen celeberrimi fluminis ad fontem eius translatum esse, in hac praesertim descrip-

tione, qua mira fluminis origo describitur; sed scripsit Plinius *Clitumni fontem.* deinde cum Aldina editione scribendum est *eluctatusque facit gurgitem, qui lato gremio patescit purus et vitreus*, non *eluctatusque quem facit gurgitem lato gremio* etc., ut est in Mediceo codice. nam et ordo descriptionis hoc postulat, ut primum gurgitem fieri dicatur, deinde gurgitis natura describatur, neque tam artificiosa elocutione in relativis sententiis utitur Plinius. — Ib. §. 6 recte edidit Cortius *balineum Hispellates, quibus illum locum divus Augustus dono dedit, publice praebent, praebent et hospitium,* quamquam nec Medicei codicis haec scriptura est, sicut ille putabat (nam in eo omissum est *et*), neque Aldinae editionis, quae habet *publice praebent et hospitium.* sed solet ita loqui Plinius, ut verbo ex priore parte sententiae repetito tum subiciat *et*, cum pariter illud ad utramque rem pertinere, non gravius esse illud quod additur significat; neque enim augendi, sed aequandi potestatem habet *et*, ubi pro *etiam* positum esse vulgo dicitur: cf. III 16, 3 *aegrotabat Caecina Paetus, maritus eius, aegrotabat et filius;* V 14 (15), 5; 17, 5: VII 11, 4; VIII 18, 7. addam duos locos, in quibus *et* addendum est auctoritate librorum, VIII 21, 3 *addidi hunc ordinem me et* (*et* om. M, add. A) *in scribendo sequi, ut necessitates voluptatibus, seria iucundis anteferrem*, hoc est et in recitando et in scribendo; IX 13, 17 *idem enim nos, qui bene sentimus de homine, et* (*et* om. DA, add. M) *iudicaturi sumus: si innocens est, sicut et* (*et* om. M, add. DA) *spero et malo et, donec aliquid probetur, credo, poteritis absolvere.*

VIII 14, 6 *Omnem denique senatorium morem, quod fidelissimum praecipiendi genus, exemplis docebantur.* non solum propter auctoritatem scripturae, sed etiam propter sententiam verborum pro *fidelissimum*, quod ex A vulgo receptum est, restituendum est *fidissimum*, quod habet M. de differentia autem utriusque vocabuli quam multum inde ab antiquo tempore quaesitum sit, dicere nihil attinet. plerumque enim viri docti, sicut fieri solet in huius modi quaestionibus, subtilis cuiusdam discriminis inveniendi studio quam auctoritate librorum se duci maluerunt. quod accidit etiam Wexio in Tac. Agric. c. 19 p. 78, ubi *fidelissimum* non maiorem fidem a Puteolano habet, quam hoc loco ab Aldo. sed cum *fidelis* proprie dicatur is qui fidem habet aliis, et huic contrarium *infidelis* is qui fidem non habet, *fidus* autem is cui fides haberi debet et *infidus* cui fides habenda non est, adparet *fidelis* vel *infidelis* ad res transferri non posse, nisi quando eae personarum vicem induerint, sicut locutus est Plinius pan. 45, 6 *quippe infidelis recti magister est metus; fidus* autem et *infidus* de rebus non minus recte dici quam de hominibus, pan. 49, 3 *fidissimam esse custodiam principis ipsius innocentiam*; ep. I 5, 16 *gratia malorum tam infida est quam ipsi;* pan. 66, 3 *infidum mare.*

VIII 17, 3 *Anio, delicatissimus amnium ideoque adiacentibus villis velut invitatus*

retentusque, magna ex parte nemora quibus inumbratur et fregit et rapuit; subruit montes et decidentium mole pluribus locis clausus, dum amissum iter quaerit, impulit tecta ac se super ruinas evexit atque extulit. viderunt quos excelsioribus terris illa tempestas deprehendit alibi divitum apparatus et gravem supellectilem, alibi instrumenta ruris, ibi boves aratra rectores, hic soluta et libera armenta atque inter haec arborum truncos aut villarum trabes atque culmina varie lateque fluitantia. ac ne illa quidem loca malo vacaverunt, ad quae non ascendit amnis. nam pro amne imber adsiduus et deiectis nubibus turbines. ita haec partim ex M partim ex A scribenda sunt. *quibus umbratur fregit et rapuit* M, in quibus cum *umbratur* falsum sit, geminatum *et* quoque ex A recipiendum est. deinde pro *evexit* in M legitur *eiecit*, quod tamquam fortius dictum defendit Cortius. sed ne dicam minus aptum esse fortius vocabulum, cum subiciatur id quod lenius est *extulit*, sicut adnotavit Doeringius, alienum hoc genus interpolationis est ab Aldo, frequens in Mediceo libro, in quo similiter V 20, 3 *deiecit* scriptum est pro *detrahit.* evehendi autem verbum, quod hac significatione nullus antiquiorum dixit, usitatum est scriptoribus post Livium de iis quae longius de loco suo progrediuntur, Liv. XXIX 34, 12 *incaute se evehentes Massinissa excipiebat;* Plin. ep. VI 16, 6 *nubes recenti spiritu evecta;* Tac. ann. XII 36; XIV 52. sed interpolationis suspicionem non fugiunt quae in A sequuntur, *viderunt hi quos excelsioribus terris illa tempestas non deprehendit.* nam et demonstrativum pronomen ante relativum saepe omittit Plinius, et *tempestas deprehendit* bene dicitur sic, ut V 14 (15), 7 *quae me agentem hic nuntius deprehendit;* VIII 14, 7 *itaque reducta libertas rudes nos et inperitos deprehendit.* negationem autem non minus temere addidit Aldus VI 17, 4 *non potes ipse non laudari* pro *non potes ipse laudari;* 25, 4 *an cum suis non dubium* pro *an cum suis dubium.* mox *atque culmina*, quae omittit M, inmerito spreverunt editores. nam ut apte hoc loco commemorantur culmina villarum, ita probabilis causa non est, cur illa addidisse putemus Aldum, qui si offendisset in neutro *fluitantia* post *trabes* posito, sicut visum est editoribus, facilius et ad illius rationem magis consentaneum fuit scribere *fluitantes.* aperta Medicei codicis corruptela est in proximis, *ac ne illa quidem mala vacaverunt quae*, ubi integram Aldinae editionis scripturam accipere non dubitavi, quamquam *ascendere* cum accusativo casu non addita praepositione dicere solet Plinius, II 14, 8; III 1, 5; 2, 4; 16, 8; VI 16, 5; pan. 5, 3; 23, 4; 59, 2. nam diversum a reliquis locis est quod hic dicitur amnis non adscendere ad edita loca et simile illi quod dixit pan. 61, 2 *quantoque propius ad magnitudinem tuam adscenderint.* postremo *deiectis* praebuit M, pro quo non recte ab editoribus ex A receptum est *deiecti.* nam qui sint turbines nubibus deiecti vix intellegitur, sed aptissimum est ad vehementiam imbrium describendam ut simul cum nubibus caelo deiectis

turbines fuisse dicantur. — §. 6. *Nam parvulum differt, patiaris adversa an expectes* A, *nam paulum differt* etc. M. nam sic in M scriptum est, non *parulum*, ut indicavit Cortius. recte tamen *parvulum differt* ex A receperunt editores coll. VIII 14, 14 *quia parvolum referret.* praeterea eodem vocabulo usus est Plinius IX 40, 3 *de nocte parvolum adquirunt. paulum* autem scripsit his locis, I 2, 4 *paulum itinere decedere;* III 15, 4 *paulum retundantur*; V 1, 4 et VI 16, 11 *cunctatus paulum;* IV 30, 2 *paulum retentus;* V 6, 20 *paulum recedit;* VI 20, 16 *paulum reluxit*; VII 27, 9 *paulum expectaret;* IX 36, 3 *paulum redormio.* ergo *paulum* ita dixit, ut plane pro adverbio esset; ubi nominis significatio subest, *parvolum* posuit. quare sicut IX 13, 8 *tantum differt* dictum est, ita hoc loco *parvolum differret*, non *paulum.* simile huic usui ab antiquis alieno est illud quod Madvigius emend. Liv. p. 577 vindicavit Livio XLIV 25, 6 *parvum auri* et X 45, 11 *parvo plures.* ceterum *paulum* et *paulo*, non *paululum* vel *paululo* constanter scriptum est in codicibus Plinii, nisi quod semel III 15, 4 in interpolato codice Florentino extat *paululum.*

VIII 20, 4 *Lacus est in similitudinem iacentis rotae circumscriptus et undique aequalis: nullus sinus, obliquitas nulla, omnia dimensa, paria et quasi artificis manu cavata et excisa. color caerulo albidior, viridior et pressior, sulpuris odor saporque medicatus, vis qua fracta solidantur.* lacus Vadimonis, qui hodie lago di Bassano dicitur, propter miram naturam insularum in lacu natantium a Plinio describitur. sed ea quae de colore et natura aquae scripta sunt, in quibus Medicei codicis scripturam exhibui, corrupta esse et comparativi inepte coacervati et insolenter addita tertio loco *et* coniunctio ostendunt. neque tollitur vitium mutata verborum structura, *color caeruleo albidior, viridior et pressior sulpuris, odor saporque medicatus*, quod Gesnero et Gierigio placuit, ut color diceretur albidior caeruleo idemque viridior et pressior colore sulpuris. nam nec latine hoc ita dici poterat, *sulpuris* pro *quam color sulpuris*, nec quis tandem color ex hac colluvione colorum nascatur quisquam facile dixerit. sulpuris autem odor quin recte tribuatur aquae, quam sulpuratam esse hodieque constat, dubitari nequit: cf. Abeken Mittelitalien p. 16. nullam autem fidem habent quae in A leguntur, *color caeruleo albidior et pressior sulpure.* nam et viridior temere ab editore omissum et *sulpure* pro *sulpuris* propter comparativum *pressior* perperam scriptum est. relinquitur igitur illud quod in M scriptum est, *color caerulo albidior viridior et pressior.* et pressum quidem quid sit in colore, longa disputatione explicare studuit Salmasius in Solin. p. 244. quamquam rectius discetur a Solino, in quem ille commentatus est, 27, 36 de gemma heliotropii *viridi colore et non ita acuto, sed nubilo magis et represso* (*presso* Salm.) et a Plinio, quem Salmasius omisit, n. h. XXXV 6, 32 *idem pretium et eius* (Sinopidis) *quae pressior*

vocatur et est maxime fusca. ex his intellegitur pressum colorem cum iis quae praecedunt *caerulo albidior* non posse coniungi, sed iis opponi. unde profectus Barthius *viridiore pressior* scribendum coniecit, pro quo *viridi pressior* scribendum fuisse, si hoc voluisset Plinius, vidit Cortius. neque tamen illud ipsum vel quod Solini exemplo commendari poterat *viridi repressior* scriptum fuisse probabile est, sed, id quod saepe in Mediceo codice factum est, excidisse videtur comparativus post *viridi.* nullum autem aptius vocabulum inveniri poterit, quam *austerus,* quod et in coloribus sollemne est, Plin. n. h. XXXV 6, 30; 11, 134, et translata ad stilum orationis significatione cum v. *pressus* coniunctum a Plinio ep. II 19, 6 *austera et pressa delectant.* scribendum igitur est *color caeruleo albidior, viridi austerior et pressior.* — Veram scripturam A servavit in his quae sequuntur §. 5 *innatant insulae herbidae omnes, harundine et iunco tectae,* ubi *tectae* omissum est in M. nam neque cum v. *herbidae,* h. e. herbis obsitae, coniungi possunt ablativi, et recte dicuntur insulae harundine et iunco tectae. pro quo quod Casaubonus scribendum esse coniecit *textae* ne aptum quidem huic loco est. nam cum id ageret Plinius, ut miram naturam insularum describeret, non poterat simul origine miraculi explicata vim eius et voluptatem minuere.

IX 2, 2 *Neque enim eadem nostra conditio, quae M. Tulli, ad cuius exemplum nos vocas. illi enim copiosissimum ingenium et ingenio qua varietas rerum qua magnitudo largissime suppetebat.* ita haec et a Cortio reliquisque post eum editoribus et a me olim edita sunt ex sententia Gronovii observ. III 12, propterea quod haec scriptura ad librorum manu scriptorum lectionem proxime accedit, *ingenium et ingenio quae uarietas rerum quae magnitudo* D., *ingenium qua uarietas rerum qua magnitudo* M. eadem prorsus quae supra scripta sunt ex libro manu scripto protulit Modius novant. lect. 91 (Grut. lamp. v. V p. 242). in quo si recte ille codicis sui scripturam indicavit, *qua* pro *quae* coniectura restitutum est. nam auctoritas codicum duorum, quibus Modius usus est, non maior est quam reliquorum codicum Italicorum. sed veri aliquid latet in scriptura Aldinae editionis quamvis interpolata, *ingenium et par ingenio materia quanta varietas rerum quam magnitudo.* primum enim *par* adiectivum in tali sententia tam usitatum est Plinio, ut hoc loco ab Aldo additum esse aegre mihi persuadeam: cf. ep. I 10, 7; 12, 8; II 1, 4; 9, 4; III 5, 3; 16, 3; IV 3, 2; 6, 1; VII 31, 2. IX 13, 3; pan. 26 et 34. dativum casum autem, quem reliquis locis Plinius omisit, hoc loco et acuminis quaerendi causa et propter formam orationis bipertitae adiecit. deinde in Gronovii scriptura cum duo dativi *illi* et *ingenio* ad verbum *suppetebat* referantur, iure offendit pronomen in principio sententiae positum. sed quod praeterea Aldus adiecit *materia,* alienum ab hoc loco esse adparet, siquidem illud ipsum accuratius dictum est iis quae sequuntur, *qua va-*

rietas rerum qua magnitudo, et haud dubie ab editore, qui quid haec sibi vellent non intellegeret, sine auctoritate codicis additum est. quare recte Nicolaum Heinsium in Valer. Flacc. V 85 coniecisse puto *illi enim et copiosissimum ingenium et par ingenio qua varietas rerum qua magnitudo largissime suppetebat.*

IX 13, 9 *Novissime consul, „Secunde, sententiae loco dices, siquid volueris". „permiseris" inquam „quod usque adhuc omnibus permisisti". resido, aguntur alia.* narrat Plinius quae acta sint in senatu, cum ipse accusationem Publicii Certi postularet. primum enim ius dicendi extra ordinem a consule impetraverat. deinde cum multis reclamantibus crimen attigisset, consul eum rem de qua dicere coeperat omittere et sententiae loco dicere quae vellet iussit. cui obtemperans ille residit, alia aguntur; postea censendi tempore cum ipse sententiam rogatus esset, rem antea omissam suscipit. iam quae hoc loco se respondisse consuli narrat, *permiseris quod usque adhuc omnibus permisisti*, quamquam diverso modo ab interpretibus explicata sunt, tamen, sic ut nunc scripta feruntur, aliter omnino intellegi nequeunt nisi ita, ut tum quidem, cum sententiae loco dicturus sit, idem sibi permissum iri dicat, quod adhuc omnibus a consule permissum sit. atqui illud iure senatorio licuit, non permissu consulis. quare quod a consule permissum esse scribit Plinius, necesse est ad illud referri quod antea sibi datum esse dixerat, ut extra ordinem et ante relationem consulis diceret. itaque revocandum est quod in omnibus libris legitur *permiseras*, h. e. dederas mihi ius dicendi, quod usque adhuc omnibus dedisti. *permiseris* autem non invenio scriptum esse ante Pomponium Laetum.

IX 30, 3 *Primum est autem suo esse contentum, deinde quos praecipue scias indigere sustentantem foventemque orbe quadam societatis ambire.* pro *societatis*, quod ex Aldina editione propagatum est, in libris manu scriptis et ante Aldum inpressis legitur *socialitatis*. idem vocabulum auctoritate codicum confirmatur pan. 49, 4 *num autem serias tantum partes dierum in oculis nostris coetuque consumis? non remissionibus tuis eadem frequentia eademque illa socialitas interest?* ab aliis illud nomen usurpatum esse non inveni. *socialis* autem, quod ab antiquioribus de iis quae sociorum sunt dictum est, poetae inde ab Horatii tempore ea notione posuerunt, ut sensum communem et societatis amantem significaret. hos secuti sunt posteriores scriptores, ut Seneca de benef. V 11, 5 *beneficium dare socialis res est, aliquem conciliat, aliquem obligat; sibi dare non est socialis res, neminem conciliat, neminem obligat.* inde ductum est substantivum nomen non maiore audacia, quam *civilitas* ab eo quod est *civilis*, de quo dixit Casaubonus in Suet. Aug. 51. itaque in supra scripto Plinii loco cum plane necessaria sit virtutis significatio, haud dubie restituendum est *orbe quodam socialitatis ambire.* orbis

autem socialitatis dicitur comitas et liberalitas omnes tamquam socios communi vinculo complectens. — Non minus novum est quod unius Medicei codicis auctoritate scripsi *ingloriosus* pro *inglorius*, IX 26, 4 *ideo nequaquam par gubernatoris est virtus, cum placido et cum turbato mari vehitur; tunc admirante nullo inlaudatus ingloriosus subit portum.* quod defensione egere video, propterea quod adiectiva in *osus* terminata raro cum *in* privativo conposita sunt. Cicero quidem unum posuit *inofficiosus*, ex iureconsultorum usu, ut videtur, receptum ad Att. XIII 27, in Verr. act. sec. I 42, 107. *inportuosus* dixerunt Sallustius Iug. 17, Plinius n. h. IV 12, 73, Plinius epist. VI 31, 17 *litus inportuosum* (*inaestuosum* M), Tacitus ann. XII 20, Seneca cons. ad Helv. 7, 8; vitavit Cicero ad fam. VI 21, 1 *praeter navigationis longae et hiemalis et minime portuosae pericula: infructuosus* Columella XI 2, 32, Plinius ep. VIII, 23, 6, alii: *inreligiosus* Livius V 40, 10, Plinius ep. IV 1, 5; IX 35, 1: *inambitiosus* Ovidius met. XI 765. paulo diversum ab his est *incuriosus*, quo usus est Plinius ep. VIII 20, 1, saepius Tacitus et alii. plura inferioris aetatis scriptores induxerunt, *instudiosus* Apuleius apol. c. 40 p. 299 Elm., *inactuosus* Servius in Verg. Aen. III 587 et Augustinus de civ. dei IV 16; *inaquosus* Tertullianus de bapt. 1, *incopiosus* idem de ieiun. 5, *inflexuosus* Isidorus orig. XII 4, 26 et ex hoc gloss. Vat. (Mai. class. auct. v. VI p. 528) *inflexuosus qui non flectitur* *). sed omnino in nominibus cum *in* conponendis plurima novaverunt poetae eorumque exemplum secuti posteriores scriptores; et apud Plinium quoque multa in hoc genere vel singulariter dicta vel a veterum usu aliena sunt, I 20, 17 *inperspicuus*, IX 10, 3 *inamoenus*, II 14, 2; VI 13, 2; VIII 21, 3 *inreverens;* III 1, 2 *indecens*, pan. 49, 3 *inaccessus*, pan. 65, 3 *inascensus.* in tanta igitur recentiorum scriptorum et ipsius Plinii licentia v. *ingloriosus* quoque ei tribuendum est, quamquam praeter hunc locum non invenio usurpatum nisi infima aetate, gloss. Labb. *ingloriosus ἄδοξος*, gloss. Vat. (Mai. class. auct. v. VI p. 528), Arnob. comm. in psalm. 130 *ille ingloriosus, nos e contrario gloriosi.*

---

*) Nullam auctoritatem habet *inotiosus*, quod vulgo legitur Quintil. XI 3, 183 *nec inutiliter ex Graecis veteres transtulerunt quod ab iis sumptum Laenas Popilius posuit, esse hanc inotiosam actionem.* nam pro *inotiosam* in codice Bernensi, in quo uno fidem scripturae in hac parte Quintiliani positam esse nuper demonstravit Halmius nunt. acad. Monac. a. 1866 p. 493 sqq., item in Bambergensi, quorum librorum scripturam mecum communicavit Halmius, scriptum est *mocosam.* neque certo dici potest, quo vocabulo Popilius notaverit actionem nimio gestu vitiosam, quam reprehendit Quintilianus. sed *inotiosam*, quod nescio quo modo pro graeco vocabulo ἄσχολον dictum esse voluerunt interpretes, certe non dixit. fortasse *actuosam* dixerat, ut τὸ ὑποκριτικόν, h. e. actionem histrionalem ab oratione alienam, exprimeret: cf. Cic. de or. III 26, 102. Paul. Fest. p. 17 ed. Muell.

IX 33, 5 *Natant pueri, inter hos ille, sed cautius. delphinus rursus ad tempus, rursus ad puerum venit. fugit ille cum ceteris. delphinus, quasi invitet et revocet, exilit, mergitur variosque orbes inplicitat expeditque.* narrat Plinius fabulam de delphino, qui puero ad coloniam Hipponensem natanti cum ceteris pueris et longius in mare provecto occurrit eumque tergo suscepit et in altum protulit, mox ad litus reduxit. eundem ludum dicit postero die et pluribus deinceps diebus repetitum esse. sed in his quae supra scripsi primum cum Aldina editione delendum est *venit*, quod male ab editoribus receptum est ex corrupta scriptura recentium codicum et principis editionis *ad puerum fugit uenit puer fugit ille cum ceteris delphinis quasi* etc. deinde eodem Aldo auctore pro *invitet et revocet* scribendum est *invitet revocet.* utrumque enim et consuetudini Plinii consentaneum et ad brevitatem et celeritatem narrationis, quam hoc loco sequitur, aptissimum est. sed *inplicitat*, quod verbum ex hoc uno loco in lexica receptum est, non satis fidei habet ab Aldina editione. in codicibus enim et in principe editione scriptum est *inplicat.* eodem vitio autem frequentativum verbum pro simplici posuit Aldus IX 13, 20 *ita vocitabat* pro *ita vocabat.* — §. 6 *Maxime puer qui primus expertus est adnatantis insilit tergo, fertur referturque.* Sichardi haec coniectura est ex corrupta codicum et principis editionis scriptura, *adnatandi insilit ergo* D, *adnatanti insilit ergo* ed. pr., petita. neque Aldinae editionis scriptura *adnatat nanti insilit tergo* ex vetere codice expressa esse videtur; sed ut saepe Aldus codicis scripturam cum iis quae ante eum edita ferebantur coniunxit, ita hoc loco participium ex principe editione videtur retinuisse. ineptum autem et ab huius narrationis brevitate alienum in utraque scriptura est participium de delphino, ad quem puer adnatat, dictum. quare non dubito quin scribendum sit *maxime puer qui primus expertus est adnatat, insilit tergo.*

Restat ut Vos, commilitones humanissimi, hoc edicto certiores faciamus fasces academiae nostrae crastino die ad virum amplissimum et nobilissimum

D. RUDOLPHUM DE RAUMER

literarum germanicarum professorem publicum ordinarium

prorectorem suffragiis collegarum creatum, clementia Regis nostri Augustissimi confirmatum, translatum iri. Is eodem die hora XI in aula academica munus suum publica oratione rite auspicabitur. Ad quam orationem prompto lubentique animo audiendam Vos invitamus atque ut frequentia et observantia Vestra illa sollemnia concelebretis Vos admonemus.

Erlangae die II mensis Novembris a. MDCCCLXVI.